

niori aeris accessu efflorescere incipiunt nitrosi flocculi, qui etiam in flammam injecti inflammabilitatem suam produnt. Sic quoque *Dn. Elzholzius* ex silicibus calcinatis, & nocte per æstivos menses sub tecto expositis Salinum liqvorem elicuit. *vid. Miscell, Cur. an. 6. ob. 18.* Ratione hujus acidi universalis, marcasithæ aeri expositæ, fundunt liqvorem acidum penetrantem qui solvit ipsum martem in vitriolum martis, uti in Anglia id fit, & processum fusius describit *Beccherus in minera arenar.* Et quod in aere talismodi ad acidi naturam accedens sal hospitetur, patet ex mutatione corporum, quæ fit ab accessu aeris. Notum enim est oleum tartari per deliquium affusum syrupo violarum ipsi conciliare intense viridem colorem. Quod si hæc mixtura per aliquot dies stet in libero aere, viridis ille color mutatur in obscure brunum; qualis etiam emergit, si huic mixturæ addatur sp. acidus, non tamen ad plenariam salis tartari saturationem. Quod si autem in vase, ex quo aer evacuatus fuit, ponatur, diutius color ille viridis remanet.

§. XIX. Deinceps spiritum mineralem, qui in cœcis glocosmi, uteris ac subterraneis pyrophyllaceis primus motor existit, omnesque lapides & terras secundat, in que varia mineralia & metalla transmutat, etiam acidæ naturæ esse & ex sale æthereo originem suam petere, judicandum esse videtur. Notabile est, quod ex omnibus mineris marcasithis talco, lapide calaminari, crystallo, silicibus per destillationem ex retorta fortiori igne factam, spiritus acidus obtineatur, de quo consule *Glauberum p. 1. furni philosophici pag. 86.* Sic, quoque *Beccherus loco citato pag. 87.* scribit ex

Spiritus Mineralis naturæ itidem acidæ existit; cum in omnibus Mineralibus, quæ producit, acidum contineatur.